

20. Quoad vero choreas, in genere *canon His igitur 3. Dist. 23.*, clericis intimat, ut *a mundi voluptatibus sese abstineant: non spectaculis, non pompis intersint; convivia publica fugiant.* Et cit. *canon Presbyteri 19. Dist. 34.*, clericis legem statuit *ne his cœtibus misceantur, ubi amatoria cantantur, aut turpia, aut obscœni motus corporum choreis et saltationibus efferuntur.* Omnia hæc simul inde conjungens *Conc. Trid. in c. 1. sess. 22. De Refor.* luxum, comessationes, aleas, lusus et choreas interdicit clericis sub pœnis veterum canonum, vel etiam majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis, ita ut appellatio executionem decreti episcopalis non suspendat.

21. Verum caveant Episcopi a nimio rigore in pœnis infligendis præsertim contra clericos ludentes. Hinc a S. Congr. *die 20. Decemb. 1637* probatum non fuit decretum synodale Episcopi Votionensis, quo sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibentur Sacerdotes ludere aleis et taxillis quocumque modo, et cum quacumque persona. Conferatur *Bened. XIV. De Syn. Dioec. lib. X. c. II. n. 2.*; nec non Giraldi in *Expos. Juris Eccl. comm. ad cap. 15. h. t.*

22. Tertio tandem clerici ut gravitatem morum servent, avaritiam declinare tenentur. *Canone 'His igitur' Dist. 23. et can. 'Quæro ergo' c. 6. q. 1.* Quo in secundo canone avaritia comparatur hæresi. Sacrorum autem canonum intentio eo dirigitur, ut clericorum animum removeant ab amore divitiarum, eosque doceant vitam agere modestam et frugalem, juxta illud S. Pauli in *I. ad Tim. 6. Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt hominem in interitum et perditionem.* Hinc canones prohibent quominus clerici commercia sæcularia, maxime vero inhonesta exercent *capp. 15. et 16. h. t.* Pariter statuunt, superflua bonorum ecclesiasticorum in pios usus esse eroganda: *can. 'Quia tua' c. 12. q. 1. Can. 'Res Eccl.' ejusd. caus. et q.* — Hinc etiam hospitalitatem exercere tenentur Clerici; *c. Quoniam caus. 16. q. 1.*

23. In specie autem prohibentur clerici ferre sententias venales, non solum eas quæ turpiter venales sunt, illas scilicet, quæ feruntur in favorem illius qui pecuniam dedit ac feruntur in correspectivitate acceptæ pecuniæ; sed prohibentur etiam ferre sententias quæ aliquo modo indecenter venales dici possunt. Prohi-

bentur scilicet clerici aliquid a partibus litigantibus exigere ad officium judicis præstandum; debentque gratis causam videre *c. 10. h. t.* Sciendum enim est, aliquibus in locis consuetudinem inolevisse, ut partes colligantes judici aliquam quantitatem pecuniæ, quæ *sportularum* nomine appellabatur, pro ejus labore et sustentatione persolverent. Sportulas vero recipere nequeunt ex lege generali ecclesiastica clerici; nam cum judices ecclesiastici sive ordinarii, sive delegati sint in dignitate constituti, ab Ecclesia habent unde honeste vivant, idest ex fructibus beneficii proprii sustentantur. Insuper nec aliquid exigere possunt judices ecclesiastici nomine assessoris quem assumere placeat.

24. Hæc valent spectato jure Decretalium Gregorii IX. expresso *in c. 10. h. t.*; accessit vero *Const. Bonif. VIII. relata in c. XI. De Rescr. in 6º. § Insuper*, in qua iudicibus delegatis a Rom. Pontifice idem interdicitur, et solum conceditur ut possint recipere esculenta et poculenta quædam in parva quantitate, ex mera liberalitate oblata: simulque conceditur ut aliquid recipiant nomine expensarum necessariorum si extra domicilium proprium proficisci debeant. Quo in casu expensæ pro æquali a partibus persolvendæ sunt. A quibus expensis persolvendis litigantes notabiliter pauperes eximuntur.

25. Possunt insuper judices delegati, si revera indigeant, sibi assumere assessorem partibus non suspectum; cui partes colligantes mercedem a iudicibus defigendam solvere debent. Præter hæc si quid a iudicibus fuerit receptum, restituendum est, non obstante donantis remissione. Ita Bonifacius. Hæc dispositio, quæ de iudicibus delegatis est, a Doctoribus etiam ordinariis applicatur. *Conf. Pater Thesaurus de Pœnis ecclesiasticis, verbo 'Munera'.*

26. Tertium caput honestatis externæ clericorum habitus decentiam respicit. Lex canonica cavet, ut Clerici habitum deferant et coronam seu tonsuram proprio statui congruentem *can. ult. Dist. 41. et c. 15. h. t.*

Quæstio prima proponitur de qualitate habitus clericalis. Non loquimur hic de vestibus quæ a sacra liturgia determinantur, quibus clerici utuntur in Ecclesia dum sacris ministeriis dant operam; sed loquimur de vestibus, quibus in ordinaria et publica inter cives consuetudine induuntur quæque civiles appellari possunt.



27. Quinque prioribus sæculis, ut ex epist. Cœlestini I. ad Episcopos Provinciæ Viennensis et Narbonensis patet, vestis clericorum non discriminabatur a communi veste civium. Deinde vestis propria clericorum induci cœpit, quæ in Conciliis partialaribus appellatur *tunica*, quæ cum ad talos usque protrahi solebat, *talaris* dicta est. Verum canones generales universam respicientes Ecclesiam Concilio Trid. antiquiores nonnisi habitus clericalis decentiam et modestiam commendant. Hinc modo potius negativo lequuntur, et interdicut luxuriosas vestes, variis vel coloribus vel ornamentis intextas; immo et rubras et virides vestes prohibent, simulque frequentem mutationem coloris et formæ. Ita Concilii generalis Lateranensis IV. sub Innocentio III. decretum relatum in *cit. c. 15. h. t.* — Ita etiam *Clem. 2. h. t.*, in qua interdicitur clericis vestis virgata vel partita.

28. Tridentina autem Synodus in *sess. 14. c. 6. de Ref.* reprobans temeritatem nonnullorum clericorum deferentium publice laicales vestes, renovat veteres constitutiones, inculcatque honestatem et modestiam vestium clericorum simulque tribuit Episcopis facultatem determinandi qualitatem et formam vestium, quæ deferri debeant a clericis in ordinibus sacris constitutis, vel qualescunque beneficium ecclesiasticum possidentibus. Huic determinationi ab Episcopo factæ, se aptare clerici tenentur; quemadmodum præter verba expressa S. Synodi *juxta Episcopi ordinationem et mandatum*, docet ex professo Bened. XIV. in *Institutionibus ecclesiasticis 21., 34. et 71.* referens decisiones S. Congreg. Concilii.

29. Accessit deinde Const. Sixti V. diei 9. Jan. 1589, quæque incipit: *Cum Sacrosanctum*. In Const. hac dispositio tridentina ad omnes prorsus clericos extenditur, clericali scilicet tonsura etiam tantummodo insignitos, et nedum ad possidentes beneficia ecclesiastica, aut ad ea jus habentes, sed etiam extenditur ad clericos minores participantes de pensionibus ecclesiasticis, aut præstimoniiis vel portionibus quibuscumque fructuum bonorum ecclesiasticorum. Ac insuper in eadem Constitutione designatur qualitas vestis clericalis.

30. Præcipit scilicet Pontifex, ut Clerici talari veste utantur; quod si in talari veste et tonsura clerici non incedant, eos subjeci declarat pœnis a Trident. Synodo statutis, etiam nulla prævia monitione. Rigorem hujus constitutionis temperavit idem Sixtus in alia constitutione, quæ incipit: *'Pastoralis' diei 31. Jan. 1589. ex-*

ciens a comminatis pœnis in prima constitutione clericos obtinentes pensionem, vel ecclesiasticorum bonorum fructus non excedentes annua sexaginta ducata de camera, nec non familiares Papæ inferioris familiæ.

31. Verum nec quoad ceteros clericos servatur constitutionis Sixtinæ rigor habitum talarem præcipientis; nam usus et praxis etiam optimæ notæ sacerdotum induxit, ut modestæ quidem et statui clericali propriæ vestes adhiberentur, quæ tamen non talares sed breviores essent, juxta locorum exigentiam et consuetudinem. Hinc Bened. XIV. cum esset Archiepiscopus Bononiæ in *Institutionib. Eccl. 34. et 71.*, non obstante Sixtina Constitutione, quam commemorat, coarctavit obligationem deferendi vestem talarem tantummodo ad Sacerdotes, qui Ecclesiam ingrediuntur sacra mysteria operaturi. De hac eadem re idem Pontifex mentionem facit etiam in *c. 8. lib. XI. De Syn. Diœc. n. 4.* Quapropter quamvis circa qualitatem vestis clericalis modestia semper observanda sit, et quamvis sacrorum canonum intentioni vestis talaris maxime congruat; tamen ea esse potest vestis clericorum, quæ ab usu communi regionis recipitur, nisi aliter ordinatio et mandatum Episcopi caveat juxta facultatem a Tridentino Episcopis tributam.

32. Quæstio altera proponitur de pœnis contra clericos vestes clericales non gestantes comminatis. — Et primo quidem clerici in majoribus ordinibus constituti, vel clerici minores qualescunque ecclesiasticum beneficium possidentes, si notabili tempore et legitimo impedimento cessante publice deserant vestes statui clericali congruentes, et moniti ab Episcopis contumaces persistent, coërceri possunt pœna suspensionis ab ordine, officio et beneficio. Quod si hac pœna percussi non respiscant, et denuo in hoc delinquant, privari possunt ab officio et beneficio. Ita *c. VI. sess. XIV. De Ref. in Trid.* In Const. vero *'Cum sacrosanctum'* cit. Sixtus V. duo statuit 1<sup>o</sup>. pœnam privationis extendit etiam ad clericos simplici tonsura insignitos, et possidentes solummodo beneficia simplicia, et in genere ad omnes, qui pensionem vel præstimonium percipiunt de bonis ecclesiasticis, nisi incedant in habitu talari et tonsura clericali. 2<sup>o</sup>. Eidem pœnæ clericos aliosque subjecit ipso jure et absque ulla monitione, vel judicis decreto. Verum prior pars correctæ est ab eodem Sixto V. qui in Const. *'Pastoralis'* a pœna privationis exceptit clericos possidentes pensionem non excedentem annua sexaginta ducata auri de Camera, et familiares



inferioris familiae, seu famulos, qui omnes non tenentur ex ratione officii vestes clericales deferre. Secundae partis rigorem temperavit Benedictus XIII., qui in Const. *'Catholicae Ecclesiae'* diei 2. Maji 1725, decrevit, ut Episcopi contra clericos beneficia ecclesiastica possidentes, deferentes vestes laicales, procedere debeant per citationem, domi dimissa copia, vel si extra Diocesim commorentur, adfixa citatione ad valvas Ecclesiae, et sententiam declaratoriam privationis juris ordine servato pronunciare debeant. Beneficia autem quae per hanc privationem vacant, reservantur Sanctae Sedi. Statuit insuper Pontifex clericos hujusmodi, interim ante etiam admonitionem, citationem et sententiam fructus non facere suos, sed sub poena peccati lethalis teneri ad eos restituendos ac fabricae Ecclesiae applicandos esse, sublata etiam facultate majori Pœnitentiaro eosdem fructus condonandi clerico. Quam facultatem condonandi tribuit eidem Pœnitentiaro Benedictus XIV. in casibus occultis solummodo; ceu videre est in Const. hujus Pontif. *'Pastor Bonus'* diei 13. Aprilis 1744. § 24.

33. Quod si sermo sit de clericis minoribus beneficio quolibet et pensione carentibus, clerici hujusmodi, quamvis non teneantur habitum clericalem deferre, et statum ecclesiasticum deserere libere possint; tamen si dimittant habitum clericalem et tonsuram, privilegio fori spoliantur. Etenim ut clerici minores hoc fruantur privilegio ex lege tridentina expressa in *c. 6. sess. 23. De Ref.* habitum et tonsuram clericalem deferre debent et alicui Ecclesiae ex mandato Episcopi inservire, et si fuerint conjugati, eorum matrimonium debet esse cum unica et virgine; *c. un. De Clericis conjugat. in 6º.* Hæc autem amissio privilegii personam Clerici ipsius non egreditur. Etenim superior ecclesiasticus potest, si velit, ad suum forum clericum delinquentem revocare, quoties ipse clericus perseveret, idest si neque a jure, neque ab homine per sententiam fuerit clericalibus privilegiis denudatus, atque ad laicam communionem redactus; quemadmodum probat Cardinalis De Luca *De Jurisd. disc. 55. n. 5.* ubi refert resolutionem S. Congr. Concilii in causa *Leodiensi* diei 12. Nov. 1630, quæ resolutio a Pontifice fuit probata. Idem decisum est in aliis causis non solum ab eadem Congr., sed etiam a S. Congr. Immunitatis, etiam pro Clerico conjugato; præsertim in caus. *Bonon. Censurarum* diei 22. Januarii 1760 (Conf. Giraldi, *Expos. etc. — Comm. ad c. 15. h. t.*). At per habitus clericalis desertionem, amisso etiam privilegio fori, non

ideo dicendum est jure tridentino amissa fuisse privilegia canonis et competentiae, ceu responsum fuisse a S. Congr. Concilii in causa Aquensi mense Febr. 1589. et alias die 3. Decemb. 1622 refert Bened. XIV. *De Syn. lib. XII. c. 2. n. 2.*

34. Verum immutata disciplina hac in re fuit. Nam Summus Pontifex Pius IX. per organum S. Congr. Immunitatis eccles. decretum edidit, quo declaravit, clericum in sacris non constitutum, sive cœlibem sive conjugatum, quoties ob non observatam plene legem Sacrosancti Concilii Trid. *sess. 23. cap. 6. De Ref.* amittit privilegium fori, ipso jure et ipso facto privari omnibus privilegiis clericalibus, ita ut debeat considerari et tractari tamquam persona mere laicalis etiam in causis criminalibus et pro effectibus pœnalibus; quin in posterum requiratur præcedens trina monitio aut declaratio particularis supra ista amissione seu privatione privilegiorum. Hoc decretum legitur in epistola typis edita Cardinalis Barberini Præfecti S. Congregationis Immunitatis ecclesiasticæ *diei 20. Nov. 1860.*

35. Quod si clericus, qui sponte sua reliquit habitum ecclesiasticum et tonsuram, voluerit utrumque iterum sumere, poterit id agere etiam sine expressa venia Episcopi, et privilegia clericalia iterum assequitur, nisi ejus consilium ex fraude procedat; idest præsertim nisi id efficiat ad declinandum judicium vel civile, vel criminale in foro laico. Ita resolvit S. Congregatio in causa *Melit. Fori 7. Maji 1622.* Non poterit vero habitum clericalem iterum suscipere clericus sine venia Episcopi, si præcesserit decretum Episcopi, qui post trinam monitionem prohibuerit quominus idem clericus habitum iterum absque ejus venia suscipiat. Conf. Bened. XIV. *De Synodo l. 12. c. 3. n. 1.*

36. Cum ad modestiam et externum clericorum decorem simul cum vestibus capitis etiam et vultus honestas sese referat; hinc in titulo nostro de cultura comæ et barbæ lex posita est in *cap. 5.*, in quo edicitur: *'Clericus neque comam, neque barbam nutriat'*. — Et merito: nam clericus sacrae militiae adscribitur per comæ abscisionem, et *idem est clericum fieri, ac crinibus detonderi*, quo ritu significatur renunciatio seu depositio omnium temporalium. *Can. Duo sunt genera c. 12. q. 1.* Hinc immoderata cultura comæ, quæ videlicet morem lascivum et fœmineum redolet, et nimiam levitatem animi manifestat, adeo clericis indecora esse censetur, ut contumaces etiam poena excommunicationis coërceri pos-



sint *cap. 4. h. t.*, quod ita se habet: *'Si quis clericus comam relaxaverit, anathema sit'* scilicet *excommunicetur*, ceu cum Glossa explicant Doctores. Hinc clerici nutrientes comam et barbam etiam inviti ab Archidiacono tonderi præcipiuntur *c. 7. h. t.* Quæ coërcitio, cessante hodierno jure Archidiaconi auctoritate, arbitrio Episcopi perficienda relinquitur, vigore *cit. cap. 7. h. t.*

37. Huc spectat prohibitio comæ adscititiæ seu fictitiæ. Suo alienos capillos capiti addere proprium fuit luxuriantium feminarum, quæque proinde a poetis irridentur et a SS. Patribus redarguuntur. Conf. Bened. XIV. *De Syn. Diœc. Lib. XI. cap. 8. n. 2.* Deinde mos, comas fictitias assumendi etiam adoptatus fuit a viris. — Harum comarum usus in clericis antiquitus non fuisse videtur. Et enim solummodo Synodi recentiori ævo celebratæ morem hujusmodi in clericis reprehendunt. Quæ prohibitio cum innitatur sanctioni *capitis 7. h. t.*, in quo coërcitio clericorum nutrientium comam Ordinario, uti vidimus, tribuitur, inde patet super hac prohibitione gestandi comam fictitiam ad commoditatem et non ad luxum dispensare posse Episcopum extra missæ celebrationem. Dixi *extra Missæ celebrationem*, nam cum Zachariæ R. P. in Synodo Romana *c. 13. et c. 14.* legem ediderit relatam in *can. 'Nullus Episcopus' De Consecr. Dist. 1.* et sub pœna prohibuerit, non solum Presbyteros et Diaconos, sed etiam ipsos Episcopos Missæ sacrificium velato capite celebrare; facultatem gestandi comam fictitiam concedere Sacerdoti celebranti, vel ministro assistenti non potest Episcopus, sed auctoritas Romani Pontificis requiritur. Quemadmodum aperte etiam innotescit ex resolutione S. Congr. Rituum *31. Jan. an. 1626*, et ex declaratione Innoc. XI. ad Legatos apostolicos et episcopos, citata a *La-Croix lib. 6. part. 2. n. 401.* Qua de re conferantur, si placet Benedicti XIV. Institutiones ecclesiasticæ *XXXIV. § IV. et XCVI. n. 9.*

38. Prohibitioni de abusu in capitis et vultus ornamento, similis est prohibitio delationis annuli. In *cap. 15. h. t.* et in Concilio Romano an. 1727. *tit. XVI. cap. III.* clericis interdicitur delatio annuli, exceptis illis quibus competit. Conferri possunt in hac materia Benedictus XIV. *De Sacrificio Missæ, Append. XX. ad lib. III. § IV. v. Insuper*, et Giraldi, *Comm. ad cap. XV. h. t.*

Ex responsionibus S. R. Congregationis, relatis in hisce locis, et præsertim ex resolutione *diei 13. Febr. 1625*, ex alia *diei 4. Augusti 1663* et ex alia *diei 3. Martii 1674* deduci potest,

delationem annuli in celebratione Missæ esse vetitam Sacerdotibus et Abbatibus non benedictis, Protonotariis Apostolicis non participantibus, nec non doctoribus quibuscumque; Canonicos vero Cathedralis Ecclesiæ gestare posse anulum aureum sine gemma et sine aliqua effigie. Cum vero prohibitio hæc respiciat celebrationem Missæ; hinc clerici doctores quibus competit delatio annuli, illum extra Missam poterunt licite deferre: conf. etiam Ferraris *Biblioth. Canonica v. Annulus.*

39. Quartum caput honestatis externæ clericorum in eo posuimus, ut abstineant a nonnullis artibus et officiis. Et primo quidem cum clerici mancipati esse censeantur sacris ministeriis, ipsis interdicitur artes et officia, quæ licet honesta in se sint, tamen clericos nimium distraherent ab suis functionibus ecclesiasticis, ac ad vitam laicalem pertraherent. Ex. gr. negotiatio proprie dicta, *cap. 15. h. t.* tutela, administratio alienorum bonorum. De his vero in ultimo titulo hujus libri.

40. 2º. Cum Clerici mites debeant esse, et a sanguine abhorre, ipsis interdicitur exercitium artis physicæ, seu medicinæ et præsertim chirurgiæ in operationibus, quæ per incisionem, aut adustionem perficiuntur *c. 10. Ne Clerici vel Monachi.* Unde ad exercendam hanc artem physicam pro clericis majoribus, et pro minoribus, beneficium ecclesiasticum possidentibus requiritur apostolicum indultum. Hac in re conf. potest Bened. XIV. *De Synodo L. 13. c. 10. nn. 2. et seq.* Ob supra enunciata lenitatis rationem in bello arma tractare, et militiam agere clerici nequeunt *can. Aliquantos et seqq. Dist. 51.* Immo clerici prohibentur arma vetita deferre, nisi ad propriam tuitionem ex. gr. in itinere in quo aggressiones prævideantur, *c. 2. h. t. et Glossa ibi.* Delinquentes vero in hac re clerici possunt excommunicari ex dispositione ejusdem capitis; Monachi vero tenentes arma intra septa Monasterii absque Superioris licentia excommunicationem incurrunt latæ sententiæ. *Clem. 1. §. quia vero. De Statu Monach.* — Animadvertimus autem hanc censuram non fuisse renovatam in Const. Pii IX. *Apostolicæ Sedis*, adeoque non amplius vigere. Plures deinceps pro temporum opportunitate latæ sunt a R. Pontificibus Constitutiones, quarum summam refert Giraldus in cit. opere 'Expositio Juris Pontificii' in comm. ad *cit. c. 2. h. t.*

41. 3º. Tandem artes et officia interdicitur clericis, quæ offendunt dignitatem status clericalis. Et 1º. quidem ludi theatrales



profani in Ecclesiis perfici non possunt, neque ab ipsis clericis *c. 12. h. t.* Nam ut notat Glossa in idem caput *v. monstra*, non prohibentur fieri in Ecclesia ludi honesti simul et pii, idest piæ repræsentationes, quæ inserviant ad recolenda divina mysteria, et ad excitandam devotionem. Præ oculis autem maxime habenda est dignitas et sanctitas loci. Quare abstinendum est ab iis omnibus, quæ reverentiam loco sacro debitam lædere, et aliqualem etiam profanationem sapere possent. Insuper prohibentur clerici alibi etiam exercere artem jocularum et histrionum seu mimorum *cap. 15. h. t.* Quam artem si per annum exerceverint, ipso jure privantur omni privilegio clericali; si autem breviori tempore et tertio moniti non respiciant, eadem pœna mulctantur; *cap. un. h. t. in 6º.* Immo clericis interdicitur etiam interesse spectaculis publicis et pompis *can. His igitur Dist. 23.* Glossa vero in hunc canonem explicat, quænam spectacula interdicanter clericis, scilicet spectacula obscœna et turpia, in quibus depravationis periculum adesse potest. Tandem in *clem. 1. h. t.* clericis prohibetur personale exercitium officiorum, quæ vilia et indecora reputantur in societate ex. gr. officium tabernariorum etc.

## TITULUS II.

## De cohabitatione Clericorum et Mulierum.

1. Consortia mulierum vitam clericorum suspicionis macula suffundere possunt; hinc præsens titulus primo subnectitur, in quo de honestate vitæ clericorum actum est. Cum ex dictis in 1º. titulo Clerici non solum incontinentiæ labem, sed etiam ipsam speciem et suspicionem hujus vitii a se removere, et caute vivere debeant; hinc ceu principium generale, quod tituli præsentis tractatum regit, sequens regula statuenda est. Clerici ex lege canonica cohabitare, et conversationem habitualement cum feminis quibuscumque de continentia suspectis habere nequeunt. Clare hujusmodi principium traditur initio *c. 1. h. t.*, quod desumptum est ex *can. 3º. Conc. Nannetensis*, non vero ex Concilio Moguntino, prout inscribitur in Decretalibus, et ita se habet. — *'Inhibendum est, ut nullus Sacerdos feminas, de quibus suspicio potest esse, retineat.'*

2. Hinc ex *cap. 9. h. t.* prohibitum non est clericis cohabitare cum feminis, in quibus *naturale fœdus nihil permittit sævi cri-*

*minis suspicari, idest matre, sorore, amita etc.* Consonat dispositio Concilii Nicæni relata a Gratiano in *can. 16. Dist. 32.* Fœminis vinculo sanguinis conjunctis addunt Doctores etiam affines, nec non extraneas maturæ ætatis et bonæ famæ. Et merito. Nam citatus canon nicænus præter matrem, sororem et amitam nominat etiam eas idoneas personas, quæ fugiant suspensiones, cum quibus sinit clericos habitare. Ad evitandam vero suspensionem cum extraneis auctores tradunt mulierem saltem 40 annorum ætate esse debere, et probatæ vitæ. Quare ut determinentur mulieres cum quibus clerici cohabitare possint, respiciendum est ad vinculum sanguinis, vel affinitatis, et ad ætatem cum bonis moribus conjunctam.

3. At *capiti 9. h. t.* obstat dispositio secundæ partis *cap. 1. h. t.* in qua interdicitur clericis cohabitatio cum omnibus fœminis etiam sanguinis vinculo conjunctis, ex. gr. matre etc. . . . En verba: *'Sed neque illas (fœminas) quas canones concedunt, matrem, amitam et sororem; quia instigante diabolo et in illis scelus perpetratum reperitur, vel etiam cum pedissequis earum.'* — Porro hæc dispositio *cap. 1.* cum recenseatur inter leges ecclesiasticas, dici illico nequit cum aliquibus eam fuisse per dispositionem capituli 9. abrogatam. (Canon nannetensis est referendum saltem ad annum 690, decretalis vero in *cap. 9.* relata, auctorem habet Innoc. III.; ideoque non est sæculo XII. antiquior.) Potius vero dicendum est cum *Bened. XIV. De Syn. L. XI. c. IV. n. 7.*, *cap. 1. h. t.* non referre regulam generalem, sed potius exceptionem *cap. 9.*, atque ita componendum esse utrumque caput, ut nempe cum Innocentio III. in *c. 9.* generatim permittatur clericis cohabitatio cum mulieribus naturali fœdere conjunctis; quia ex regula generali juxta longam et probatam experientiam suspicio criminis cum istis fœminis non verificatur; et excipiatur cum concilio Nannetensi in *c. 1.* casus in quo etiam hujusmodi fœminæ aut earum pedissequæ afferant ex pravis moribus rationalem suspensionem criminis incontinentiæ. Et revera quamquam *cap. 1.* videatur exhibere regulam generalem, tamen si rite consideretur, refert indolem exceptionis. Nam fundamentum prohibitionis collocant Patres in suspicione criminis, adeo ut prohibeant in primis verbis capituli non quamcumque cohabitationem, et qualecumque consortium clericorum cum mulieribus, sed solummodo inhi-beant consortium cum mulieribus de quibus suspicio esse potest. Quod si objiciatur, Patres nannetenses deinde absolutis verbis proscriptis consortium clericorum etiam